

AUXILIUM LATINUM

LATIN AID

A. P. S. L.

ALBERT E. WARSLEY, A. M., Litt. D.; EDITOR and PRESIDENT
ALFRED V. FRALEY, A. M., Ph. D.; SECRETARY and TREASURER

VOL. IV

JANUARY-FEBRUARY 1933

Nos. 4-5



MENSIS
JANUARIUS

FINIS
AUTUMNI
SCHOLASTICI
SEMESTRIS
SPATI

MENSIS
FEBRUARIUS

INITIUM
VERNI
SCHOLASTICI
SEMESTRIS
SPATI

SIMPLIFIED PRESS, Pubs., Box 54, P. O. Station "S", BROOKLYN, N. Y.
Copyright 1933, by the SIMPLIFIED PRESS. Printed in U. S. A.

MENSIS JANUARIUS	
Jan. 1st—Kalendis Januariis	
" 2nd—a. d. IV Nonas Jan.	
" 3rd—a. d. III " "	
" 4th—pridie " "	
" 5th—Nonis Januariis	
" 6th—a. d. VIII Idus Jan.	
" 7th—a. d. VII " "	
" 8th—a. d. VI " "	
" 9th—a. d. V " "	
" 10th—a. d. IV " "	
" 11th—a. d. III " "	
" 12th—pridie " "	
" 13th—Idibus Januariis	
" 14th—a. d. XIX Kal. Feb.	
" 15th—a. d. XVIII " "	
" 16th—a. d. XVII " "	
" 17th—a. d. XVI " "	
" 18th—a. d. XV " "	
" 19th—a. d. XIV " "	
" 20th—a. d. XIII " "	
" 21st—a. d. XII " "	
" 22nd—a. d. XI " "	
" 23rd—a. d. X " "	
" 24th—a. d. IX " "	
" 25th—a. d. VIII " "	
" 26th—a. d. VII " "	
" 27th—a. d. VI " "	
" 28th—a. d. V " "	
" 29th—a. d. IV " "	
" 30th—a. d. III " "	
" 31st—pridie " "	
Feb. 1st—Kalendis Februariis	

MENSIS FEBRUARIUS	
Feb. 1st—Kalendis Februariis	
" 2nd—a. d. IV Nonas Feb.*	
" 3rd—a. d. III " "	
" 4th—pridie " "	
" 5th—Nonis Februariis	
" 6th—a. d. VIII Idus Feb.	
" 7th—a. d. VII " "	
" 8th—a. d. VI " "	
" 9th—a. d. V " "	
" 10th—a. d. IV " "	
" 11th—a. d. III " "	
" 12th—pridie " "	
" 13th—Idibus Februariis	
" 14th—a. d. XVI Kal. Mar.	
" 15th—a. d. XV " "	
" 16th—a. d. XIV " "	
" 17th—a. d. XIII " "	
" 18th—a. d. XII " "	
" 19th—a. d. XI " "	
" 20th—a. d. X " "	
" 21st—a. d. IX " "	
" 22nd—a. d. VIII " "	
" 23rd—a. d. VII " "	
" 24th—a. d. VI " "	
" 25th—a. d. V " "	
" 26th—a. d. IV " "	
" 27th—a. d. III " "	
" 28th—pridie " "	
Mar. 1st—Kalendis Martiis	


*a. d. IV Nonas Feb. is an abbreviation of "ante diem quartum Nonas Februarias." So with the rest. Likewise for Jan.—Ed

NUNTII AB EDITORE LECTORIBUS

With this issue of *Auxilium Latinum*, an elucidatory apology with explanation is due its subscribers whose kindly indulgence is humbly petitioned. It is no esoteric fact that the individuals writing for and guiding *Auxilium Latinum* (now enjoying an unprecedented success that effected the complete exhaustion of October and November issues) are in greater measure pedagogical professionals engaged in their editorial functions without any remuneration and solely motivated by a genuine affection for the classics, laboring wholly "on the side" in their free time, which paradoxically is none too free, of which fact most of you are fully aware from personal experience. With us a palpable saturation point has been reached and we wearily beg for a "breathing spell" during which interregnumatic period of abeyance we might be permitted to perform efficiently our variegated scholastic duties corollarily concomitant with the imminent mid-term examinations and to be accorded, deservedly we hope, the fruition of sufficient mental and physical recreation because of which we might be fortified to present to you the remaining issues of this academic cycle in continued scholarly fashion. The abatement of this fond hope will be made feasibly possible by offering you now this combined January-February issue, which it is hoped you will accept with your oft-manifested, admirable, indubitably-patient kindness. May I, furthermore, express my sincere hope that you will be delighted with the initial opus of each of our two latest editorial contributors presented herein. In fine, anticipating your conciliatory attitude to this innovation will be patiently amenable and not opprobrious, please permit me, until the March *Auxilium Latinum* (off the press, March 11th), to bid you all a grateful—Valete.

—Albert E. Warsley, Litt. D.

AUXILIUM LATIN



LATINUM AID

SIMPLIFIED PRESS, Pubs. BOX 54, P. O. STATION "S", BROOKLYN, N. Y.
Official Organ ASSOCIATION for PROMOTION of STUDY of LATIN

(A. P. S. L.)

(Membership Certificate granted to each Subscriber)

MANAGING EDITOR: ALBERT E. WARSLEY, A.M.; Litt. D. (Membre d'honneur de l'Academie Latine d'Echanges Intellectuels). Kindly assisted by following Contributing Associate Editors: A. J. Beres, M. D.; Lillian B. Lawler, Ph. D.; Dr. N. R.; Julia Sabine, A. B.; Grace D. Veatch, A.M.; E. D. Daniels, Ph.D.; Theodore Laboure, O.M.I.; A.M.; E. S. Gerhard, M.A.; Gilbert F. Esser, C.P.P.S., A.M.; Arcadius Avellanus, Ph.D.; Alfred V. Fraley, A.M., Ph.D.; Fred Gruhn, S.V.D., A.M.; A. F. Geysler, S.J., A.M., with Mr. George Pazmino as Staff Artist. Contributions from readers welcome.

VOL. IV MENSES JANUARI-FEBRUARI MCMXXXIII NUM. 4-5

Daniel Webster Constitutionem Reipublicae Nostrae Vexillum Esse

Declarat oratione habita anno MDCCCLII

(Webster's Speech on the Standard of the Constitution)

A. F. Geysler, S.J., A.M., Author of ORATOR LATINUS, etc.
Campion School, Prairie du Chien, Wisconsin

HISTORIA, eleganter et ornate per-scripta, si reperitur fuisse, si nunc est et semper erit, liberarum institutionum et eloquentiae popularis comes, alteri Herodoto, alteri Thucididi—(utinam ne novum Bellum Peloponnesiacum scribendi offerat materiam),—alteri Livio quantus aperitur campus!

Hic iam mihi, auditores clarissimi, dicere et declarare concedatur, licere nobis summam fovere spem Reipublicae nostrae fortunam evasuram esse felicem, si nos et posteris nostri fideliter Religioni Christianae adhaerebimus, si nos et illi semper vivemus imbuti timore Dei Eiusque praecepta revereberimur, si nos et illi iustos sensus morales retinebimus una cum illis conscientiae persuasionibus ad officia nostra exsequenda pertinentibus, quae sint eiusmodi ut et cor et vitam nostram temperare valeant atque ordinare.

Si porro gubernandae Reipublicae

institutiones nostras conservabimus nostramque Unionem Civilem—omni laude tanto maiorem quanto melior est omnibus, quae ad nostra tempora extiterunt, Societatibus Civilibus—de hac ipsa re nobis poterit constare: Rempublicam nostram annales scribendi materiam praestitutam esse milibus quidem artis historicae peritissimis scriptoribus, nullam Gibbonibus. Neque enim erit "Defectus" ullus, ulla "Ruina". Respublica nostra erit superstes prospera, prospera semper fructura fortuna.

Sin nos et liberi nostri Religiosam institutionem atque Religionis auctoritatem reiciamus, si aeternae iustitiae violabimus leges, si praecepta moralia parvi pendemus, si Civilem Unionem, qua nunc sumus inter nos coniuncti, stulti atque protervi destruamus, non erunt qui possint praedicere, quam cito futurum sit, ut calamitosa Ruina nos obruat, omnem gloriam nostram

profunda sepultura obscuritate!

Quae Ruina si sit forte futura, utinam rerum gestarum monumentis carcat! Horribiles illi annales utinam numquam scribantur; idem illi Calamitati utinam contingat fatum quod amissis Libris Livianis accidit, quos nullus umquam oculus leget humanus, vel etiam atque illud fatum quod incidit in "Pleiadem Amissam", de qua nemo umquam quidquam scire poterit praeter hoc ipsum, illam periisse, periisse in omne tempus futurum.

Nolo tamen, auditores lectissimi, a vobis discedere, verba, quae desperationem spirare videntur, proferens. Confidere etenim fas est, Deum nos non esse deserturum quamdiu nos ipsos non deseremus. Num nos qui nunc vivimus adeo quod nostra interest negligimus,—num tantulum sanguinis "Secessionis" Parentum nostras percurrit venas ut conservare non possumus quod Maiores nostri sunt assecuti? Totius orbis terrarum incolae contra nos exclamabunt dicentes: "Proh pudor!", si exhibebimus nos prolem indignam viris illis vere magnis et illustribus qui pro sua decertaverunt Libertate eamque CONSTITUTIONE promulgata posteris reliquerunt securam.

Sunt nostrae Constitutionis adversarii, occulti alii, alii aperti. Horum inimicorum conatibus perversis ut obistatur, a Constitutionis fautoribus aciem instaurari oportet. Omnes etenim amicos necesse est uniri et coniungi ut Constitutio servetur. Isti VEXILLO adhaerere debemus illudque defendere inter malam famam, inter bonam.

Defendemus illud; mortem ipsam, si forte nobis occurrat, oppetemus. Semper cum Errore congressuri vincemus. Errorem noctu diuque, inter lucem et inter tenebras—inter tenebras spissas, si spissae incumbant—donec:

PRAETERIT TANDEM NOX ANX-
IA, PLENA PERICLI,
ATQUE ITERUM PACIS LUCIDA
STELLA REDIT.

VOX AMICORUM

"They who say that Latin is a dead language are themselves dead—dead to its beauty, spirit and the enjoyment to be derived from reading it." F. C. Jelinek, Mt. Paul Novitiate, Oak Ridge, N. J.

"Agite, O Editores, etiam in futurum munus vestrum editoriale eadem qua diligentia ac fide in praeterito id gessistis, et sine dubio felix laboris vestri exitus non vos deficiet." Rev. A. Csicsman, Fort Benton, Montana.

"I wish to subscribe to sixteen more copies of *Auxilium Latinum* to be enjoyed by my students and they await them in anticipation." Sr. M. Agnes Moynihan, Notre Dame aux Epines, Ecclloo, Belgium.

"In commendation of your work, I again subscribe for myself and for Prof. Motten." Remsen B. Ogilby, President Trinity College, Hartford, Conn.

"Approving of your worthy *Auxilium Latinum*, please place our block order for our students on your list." Mother G. O'Connor, Sacred Heart Convent, Halifax, Canada.

"I have been an interested reader of and subscriber to *Auxilium Latinum* from its first number and now with great pleasure I am able to enroll my Junior and Senior pupils in the A. P. S. L." Miss M. Gertrude Cahill, Milford H. S., Milford, Mass.

"Impressed by the excellence and success of *Auxilium Latinum* and inspired by the interest in the value of the classics of such men as Lowell Thomas (who recently visited our school) my students gladly subscribe to it." Miss Helen E. Ort, Wm. Penn Sr. High School, York, Penna.

FABULAS LATINE INTERPRETATUS EST ARCADIUS AVELLANUS, PH. D.

KING OF GOLDEN RIVER

(John Ruskin)

REX AUREI RIVI

CAPUT XII

Oculi Hans in hac una et unica re erant defixi; immemor longinquitatis superandae, iter suum tam immoderata celeritate perficere conabatur, ut antequam vel priores vertices humiliorum collium virentium superavisset iam viribus exhaustus esset. Praeterea, cum iam hos colles superavisset, quamquam situs naturaeque horum montium longa experientia haud erat ignarus, admodum mirabatur se in fluentum glaciale incidisse, quod ipsi omnino ignotum erat et quod se ab Aureo Rivo seiungebat. Itaque summa monticolae audacia illud intrare non dubitavit; mox tamen sensit se nunquam antea in omni vita tam insolutum, tamque perniciosum glaciale transire tentavisse. Glacies admodum erat lubrica et ex omnibus eius hiatibus sonitus audiebatur ruentium aquarum nec hoc unisonum murmur sed variabilis et elata, subindeque efferata melodia, sive ruptus singultus et eiulatio petila, non raro in speciem humanae vocis quiritantis. Glacies in millena fragmenta nullius formae erat comminuta, sed tamen, ex opinione Hans, nequaquam in consuetam speciem glaciei aculeatam fissae. Lineamenta fragmentorum istorum curioso quodam modo certas quasdam figuras prae se ferre videbantur — perpetuo enim figuras vivorum vultuum ex odio vel similitudine torvorum exprimebant. Millena umbrarum fallentium luminumque luridorum circum se fluitabant ac versabantur, item in caerulocandidis glaciei pinnaculis, oculisque viatoris corusco fulgore officiebant, dum, interea, aures ei hebescebant caput autem vertigine, ab aquis subitus cum fragore ac boatu ruentibus, rapiebatur.

(Extendetur)

SIRE DE MALETROIT'S
DOOR

(Robert Louis Stevenson)

Ostium Cl. V. De Maletroit
CAPUT IV

Ostium autem aedifici sub profundo fornice occultebatur, cuius exteriora figuris in lapide incisus, superne autem duae imbrices draconteae impendebant. Fenestrae sacelli, vitris pictis, quadraturisque multiplicibus obumbratae, lumen prodebant tamquam plurium cereorum, quo fiebat ut et erismata et apicatum tectum eo acriori caligine ad versum coelum eniterent. Satis erat manifestum aedes has domicilium esse familiae cuiusdem potentioris regionis vicinae; cum vero eadem in mentem Dionysii proprii domicilii Burgis revocaret, substitit, ac paulisper sursum spectabat, secumque artem architecti pensitabat, duasque has familias recensebat.

E septo fastigio nullus exitus videbatur patere praeter angiportum, qui eo ducebat, nec fieri quidquam poterat, nisi ut eadem via qua venerat, rediret, sed ubi modo esset, quadam ratione sibi fingere videbatur, proin usque sibi confidebat viam praecipuam hoc modo se assecuturum, suoque diversorio potiturum. Sic ipse secum coniebat, quin casuum fortuitorum qui incidere possent, rationem habuisset, quorum unus hanc noctem omnium maxime in suae omnis vitae curriculo memorabilem reddidisset; namque vix centum passus retrorsum cessit antequam lumen conspexit adversum se appropinquans, vocesque in his angustis vicissim reverberantes audivit. Caterva erat hominum armatorum vias noctu taedis obseuntium. Dionysius statim coniectabat hos vinum paulo liberius ingurgitasse, nec proinde salvis conductibus admodum detineri aut vero leges honesti belli maximi facturos.

(Extendetur)

JOCULARITER

NUX

Nux, secundum viam sata, plurimum ferebat fructus: cum autem a populo praetereunte saxis et fustibus impeteretur ut iuglandes decidentes carperent.

"Me infelicem," exclamabat, "cui gratias tam acerbis referunt ob fructus iucundos quos ex me percipiunt."

ASINUS ET CICADAE

Asinus, cum cicadas canentes audivisset et concentus suavitatem miratus esset, interrogabat eas: Quo victu uterentur ut vocem adeo dulcem clarumque emitterent? Cumque illae responderent se rore vesci; asinus, dum aberrat, expectans rorem qui noctibus fit, fame interiit.

CANCER

Canceri mater parvulo suo dicebat: "Mi nate, cur obliquos intorques gressus cum recta incedere debes?"

"Faciam," inquit ille, "mater mea, si te idem facientem prius videro."

Illa autem frustra id conante, eius amentiam redarguebat filius.

CANIS

Canis dentibus frendens et allatrans in praesepti iacebat a quo equi terrebantur neque admittebantur ad pabula.

"Quanta ista invidia est," inquit, "te non pati ut eo cibo vescamur quem capere nec velis nec possis."

CASSITA

Cassita dum escam appetit, irretita laqueo, deplorans fortunam suam: "Me miseram infelicemque," inquit, "volucrem; non ego aliis aurum subdixi; non argentum rapui; nihil invasi rei ullius pretiosae: parvulum vero tritici granum mortem mihi attulit."

TRACTATIONES

DE MODESTIA

Verecundia est omnibus aetatibus, personis, temporibus et locis apta; adolentes tamen iuvenilesque annos maxime decet.

Quam pulchra et quam splendida gemma morum est modestia et in vita et in vultu adolescentis! Quam vera et minime dubia bonae spei nuntia, bonae indolis index. Plures pudore peccandi, quam bona voluntate a prohibitis abstinere.

DE AFFECTU

Affectus quidem tam mali ministri quam duces sunt. Facile est affectus nostros, cum primum oriuntur, coercere: morbum signa praecurrunt: prodest morbum suum nosse et vires eius, antequam spatientur, opprimere.

Cupiditati nihil satis est; naturae satis est etiam parum: necessariae cupidines, nec opera multa, nec impensa implentur.

DE PHILOSOPHIA

Philosophia sapientiae amor est. Philosophia omnium artium mater est: haec primum ad cultum deorum, deinde ad ius hominum, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudit.

Qui ad philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni exinde ferat; aut sanior domum redeat aut sanabilior. Facere docet philosophia, non solum discere: ea autem est et contemplativa et activa: spectat simulque agit.

Philosophia animum firmat et fabricat: vitam disponit, actiones regit; agenda et omittenda demonstrat.

Aristippus perconanti Dionysio: Quid eximium haberent philosophi praeter ceteris hominibus? Ut, inquit, si omnes leges aboleantur tamen iuste victuri simus.

Quomodo Joannes Smith Imperio Virginiae Potitus Sit

Gilbert F. Esser, C.P.P.S., A.M., St. Joseph's College
Collegeville, Indiana

Ex omnibus ducibus Virginiae longe audacissimus fuit Joannes Smith. Vir rerum novarum cupidus fortunam belli in multis Europae regionibus tentaverat. In Hollandia, Scotia, Gallia, Italia, Dalmatia, Africa rem militarem navaverat. Saepius naufragium passus vel in proelio vulneribus confectus, aut ipsius magno vigore et audacia aut speciali Dei providentia semper incolumis evasit.

Eo tempore frequentes rumores adferebantur de immensis Americae divitiis ejusque magna soli fertilitate. Quibus rebus auditis Smith in eam longinquam terram iter facere statuit. Approbante Jacobo, rege Anglorum, cum aliis quandam societatem iniit, cujus erat omnia conficere quae ad novam coloniam condendam pertinebant. Rex autem, ne potestas regalis minueretur, multas leges emigrantibus imposuit. Inter alia decrevit ut coloni a septem regerentur consiliariis, quos ipse eligeret quosque ad suum arbitrium revocare posset. Haec atque his similia constituit; et nomina septem consiliariorum ut pro tempore celaret, sigillo conclusit et tribus magistris navium custodienda tradidit.

Novem elapsis mensibus, cum omnia ad navigandum parata essent, tribus navibus vela dederunt ad oceanum transvehendum. Virorum navigantium numerus erat centum et quinque, quorum alii ex ordine nobilium erant, alii erant operarii sicut sartores, fabri ferrarii, fabri lignarii.

Cursus super mare tamen haud omnino tranquillus erat. Amplius sex hebdomades extra portum Britanniae adversis ventis detinebantur, quo tempore dissensiones multae et acres oriuntur. Eas vero juvenis Smith peri-

tia et auctoritate sedavit. Quo facto invidiam nobilium excitavit, a quibus Eduardo Wingfield duce accusatus, quod in consilium conspiraret ut se regem faceret novae coloniae, in vincula conjectus est.

Proximo vere, id est, mense Aprili, anno MDCVII, quam terram hodie Virginiam appellamus navigantes primo adspiciunt. Patebat regio fertilis et aquosa. Montes vallesque verno tempore nitido pallio viridi coloris ornati oculis eorum objiciebantur. Sinum Chesapeake transierunt et flumen hodie "James River" nuncupatum intrarunt, in cujus ripam septentrionalem tandem e navibus exponuntur.

Vix autem terram firmam pedes attingerant, cum a magna caterva opprimuntur Indianorum, qui fustibus, arcibus, securibusque armati in eo sunt ut impetum faciant. Cum vero manibus agitatis pax effecta esset, hostes tela deponunt nec advenis quidquam injuriae intulerunt.

Convocato mox concilio omnium colonorum et fracto regio sigillo, nomina septem consiliariorum divulgata sunt. Quartum nomen erat Joannis Smith, sed Wingfield adhuc invidus, eum a consilio prohibuit ac se ipsum praefectum coloniae declaravit. Veritus tamen ne tumultus populi fieret, mox e vinculis eum liberavit.

Nonnulli ex septem consiliariis, sive ab Indianis interfecti sive morbo consumpti, paucis mensibus mortui sunt. Wingfield, superbia et ignorantia ductus, res coloniae tam male gessit ut paulo post ad officium suum deponendum coactus sit. Alii quidam ex inimicis Joannem nostrum vinctum in Angliam remittere nitebantur; is vero jus suum vindicavit et omni crimine absolutus est. Deinde ob prudentiam suam et peritiam summus dux et praefectus coloniae electus est.

ALIUS MAGUS

(Dr. Henry Van Dyke)

E. S. GERHARD, A. M.
NORTHEAST HIGH SCHOOL
Philadelphia, Penn'a.

(Pars Secunda)

Jam longe mediam noctem praeteriit, et cum primum jubar se ostenderet, Artabanus trepide Templum Septem Sphaerarum scrutabatur, sed vestigia suorum amicorum cernere non poterat. Celeriter collem circumvectus est, ad pedes desiluit, in altissimum aggerem enixus est. In occidentem prospiciebat sed nullum signum procul aut prope commeatus Magorum erat. Sub lapide autem papyrum invenit in quo legit: "Praeter mediam noctem exspectabamus, diutius morari non possumus. Regem visum imus. Sequere nos trans desertum."

Artabanus sibi desperabat; ejus equus defatigatus est; unam gemmam vendidit et camelum frumentumque sumpsit. Veritus est ne suos amicos nunquam consequeretur et ne occasionem Regis videndi perderet quod moratus esset ut misericordiam exhiberet. Firmiter progrediens per vallem Jordam ivit secundum caerulias aquas Maris Galilaeae. Tandem ad urbem Bethlehem advenit. Tres Magi tribus ante diebus advenerant: Josephum et Mariam cum puero Jesu reppererant; puero sua munera: aurum, tus myrrhamque obtulerant.

Cum ab femina, quae cum parvulo in casa habitabat, de commoratione trium viatorum quaereret, sic reperiebat: "Magos iterum dilapsos esse et Nazarenum matrem puerumque ad Aegyptum sustulisse." Cum loquerentur milites Herodis in vicum ruere et parvulos trucidare incipere, perterrita mater in angulo atri se parvulumque celebrat, dum Artabanus ad januam stat. Milites per vias manibus sanguineis stillantibus pugionibusque currebant et pro domo stabant. Centurio limini appropinquavit ut Artabanum

depelleret, sed hic se non movit; contra centurioni secundam gemmam dedit ut eum in pace relinqueret et ne domum iniret. Milites progressi sunt.

Artabanus commovebatur. Duas gemmas dimiserat et non dum vultum Regis conspexerat. Tum femina post eum lacrimans gaudio leni voce dixit: "Quod vitam mei parvuli servavisti, Dominus tibi benedicat et te conservet; Dominus faciat ut vultus tibi affulgeat et tibi benignus sit; Dominus suum vultum in te tollat et tibi pacem det."

Artabanus suam quaesitionem exsequabatur: per Aegyptum progressus est; sub Pyramides visus est; pro Sphinge stabat significationem ejus legere frustra conans; Alexandriae consilium una cum Rabbi cepit, qui dixit "Ei, qui Regem quaerunt, Eum apud pauperes humilesque, maestos oppressosque reperient." Itaque Artabanus huc atque illuc iter faciebat; in urbibus habitabat in quas gravis pestilentia incederat. Esurientes citabat; nudos induebat; infirmos sanabat.

Tres et triginta anni jam transiverant et Artabanus etiam peregrinator erat et etiam Regem quaerebat. Nunc postremum ad urbem Jerusalem venerat. Erat tempus Paschae: multi hospites, qui propter magnam Festum rediverant, in urbe erant. Magna perturbatione in viis urbis audita, Artabanus gregem sequebatur et de causa tumulti quaesivit. "Imus", ei responderunt, "ad locum qui Galgotha appellatur, ubi de duobus latronibus supplicium capitis sumpturi sumus, et de alio qui Jesus Nazareth appellatur." Itaque vulgus ad Damascenam portam secutus est, ubi manus Macedonium puellam, capillo incompto et scisso vestimento, trahebant. Tandem ex tortoribus se eripuit et Artabano ad pedes se projecit. Milites puellam ob patris debita servam vendere volebant.

Artabanus tremebat; bis adhuc domum, quod Regi consecraverat in
(Vide Paginam 14)

IN NAVI

Lillian B. Lawler, Ph. D.
New York City, N. Y.

Personae:

Marcus, adulescens
Hegio, servus Marci
Mercator
Miles
Senex
Pirata
Voces nautarum
Vox gubernatoris

Locus:—In navi. Marcus sedet in medio. Gemit.

Marcus. O—o—oh! (Intrat Hegio.)

Hegio. Quid agis, domine?

Marcus. Aeger sum. Discede!

Hegio. Aegerne?

Marcus. Mare est turbidum. Navis frangetur. Aeque animo moriar. O—o—oh!

Hegio. Non morieris. Ad Graeciam pulchram iam pervenies. Athenis apud viros clarissimos et doctissimos philosophiae studebis.

Marcus. Cur Romam et domum et matrem reliqui? Aeger sum!

Hegio. Nonne cupis orator doctus fieri?

Marcus. Orator non ero—moriar!

Hegio. Multi adulescentes Romani ad Graeciam navigant. Omnia bene erunt.

Marcus. Hegio! Te iubeo me in mare iacere.

Hegio. Quid!

Vox Nautae. Piratae! Piratae adsunt!
Voces Nautarum. (Clamor fit.) Ecce!
Post illam insulam celantur! Piratae adsunt!

Vox Gubernatoris. Ho! Nautae! (Intrant Mercator, Miles, Senex.)

Mercator. Ubi sunt bona mea?

Miles. Ubi est praeda mea?

Senex. Ubi est pecunia mea?

Mercator. Ecce! Piratae ad navem perveniunt!

Senex. Navem occupabunt!

Mercator. Vita nostra acta est!

Miles (Gladium stringit.) Pugnabimus.
(Exeunt Mercator, Senex, Miles.)

Marcus. Piratae? Venio. (Exit.)

Hegio. Domine! Aeger es! Cum piratis pugnare non potes. Domine! (Exit.)

Voces Nautarum (Clamor fit.) Em!
Vos in mare iacemus! Au! Abite!
Em! (Paulisper pugnatur.)

Voces Nautarum. Io! Fugiant! Victoria nostra est! (Intrat Marcus. Vestis eius est sordida et scissa. Piratam confectum trahit. Intrat Hegio.)

Hegio. Domine! Esne vulneratus?

Marcus. Ecce! Servum novum cepi!

Hegio. Quid! Nonne aeger es?

Marcus. Aegerne? Victor sum.


Voces Nautarum. Discesserunt piratae!

Marcus. Hegio! Ad Graeciam navigo; philosophiae studebo. Orator autem non fiam.

(Finitur in Pagina 14)

TITURIUS TERRIBILIS

GEO. PAZMINO



SERMO LATINUS

A. F. Geyser, S.J., A.M.
Campion High School
Prairie du Chien, Wis.

1.

SERMO, quem Latium recens
infantis dubiis labris
profert, ingerit aspero
semet auribus ictu.

2.

Mox, dum Roma, potens suis
invictis legionibus,
orbis ultima limina
festino pede calcat,

3.

Sermo patrius, impigro
limatus calamo diu,
sublimi indole Tullii
artis culmina scandit.

4.

Promptus, flexilis et gravis
commoto resonat foro;
dulcis, mellifluus, tener
promit carmina Musis.

5.

Temporum superans fugam
integer viget et viret;—
resplendens veluti PHARUS
lucem spargit in orbem,

6.

Donec insulae dissitae
fulgent lumine, quo nitet
candidus comes artium,
CLARUS SERMO LATINUS.

Notandum: On this page are reproduced original poems by two of our new contributing associate editors as well as by one of our veteran associates.

PROPIUS, DOMINE---

(Nearer My God to Thee)

Fred Gruhn, S.V.D., A.M.
Philadelphia, Pa.

1.

Propius, Domine propius Te;
Crux etsi gravis est quae levat me,
Sit tamen canticum meum dulcissimum:
Propius, Domine propius Te.

2.

Sol cum iam occidit et in via
Nox tenebris tegit me — et omnia,
Ipso in somnio cano — ex animo:
Propius, Domine propius Te.

3.

Orto — et sidere, novo die,
Soleo surgere laudare Te,
Dicens in omnibus meis laboribus:
Propius, Domine propius Te.

4.

Metam cum teneo Te — in Caelo,
Et clare video res in mundo;
Resonet iubilus: Nil est beatius
Quam — esse propius, Domine Te.

—: Signifies that the words have to be kept separated, i. e. no slurring over required, not even permitted by reason of melody.

FILIUS PARENTIBUS

Multa scio, plura desunt,
Vestra grata mihi cura,
Vires meae adhuc quaesunt,
Conservetis mea iura.

FILIA PARENTIBUS

Mater mea, cara mater,
Multa dari corda laeta,
Tuum mallet centum quater,
Hoc ut verus est propheta.

—Dr. N. R., St. Louis, Mo.

ROMAE HISTORIA

(EUTROPIUS — 365 A.D.)

CAPUT XII

Lucio Manlio Volsone M. Attilio consulibus, bellum in Africam translatum est contra Hamilcarem Carthaginiensium ducem; in mari pugnatum, victusque est. Nam perditis lxiv. navibus retro se recepit; Romani xxiii. amiserunt; sed cum in Africam transissent, primum Clypeam Africae civitatem in deditionem acceperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis oppidis Manlius victor Romam rediit & xxvii. millia captivorum reduxit. Attilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit, contra tres Carthaginensium duces dimicans, victor fuit: xviii. millia hostium cecidit, quinque millia cum viii. elephantibus cepit. Civitates lxxiv. in fidem accepit. Tum victi Carthaginenses pacem a Romanis petierunt: quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedaemoniis petierunt: & duce Xantippo, qui a Lacedaemoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus victus est ultima pernicie: nam duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu remanserunt; quindecim millia cum imperatore Regulo capta sunt, xxx. millia occisa, Regulus ipse in catenas coniectus.

M. Aemilio Paulo, Serv. Fulvio Nobiliore consulibus, ambo consules Romani Africam profecti sunt, cum trecentarum navium classe Clypeam petunt & contra Carthaginenses venerunt. Primum Afros navali certamine superant. Aemilius consul centum & quatuor naves hostium demersit, triginta cum pugnatoribus cepit, quindecim millia hostium aut occidit aut cepit militem suum ingenti praeda ditavit; & subacta Africa tum fuisset, nisi tanta famis fuisset ut diutius expectare exercitus non posset. Consules cum victrici classe redeuntes, circa Siciliam naufragium passi sunt.

(Extendetur)

SACRAE HISTORIAE

CAPUT III
IN HIDING

Adamus, fugiens conspectum Dei, se abscondit. Deus illum vocavit: "Adame, Adame!" Qui respondit: "Timui conspectum Tuum et me abscondi."

"Cur times," inquit Deus, "nisi quia comedisti fructum vetitum?" Adamus respondit: "Mulier, quam dedisti mihi sociam, porrexit mihi fructum istum ut ederem."

Dominus mulieri dixit: "Cur hoc fecisti?" Quae respondit: "Serpens me decepit."

CONDEMNATION

Dominus serpenti dixit: "Quia decepisti mulierem, eris odiosus et execratus inter omnia animantia: reptabis super pectus et terram comedes. Inimicitiae inter te et mulierem erunt: ipsa olim conteret caput tuum."

Dixit etiam mulieri: "Afficiam te multis malis; paries liberos in dolore et eris in potestate viri."

PARADISE LOST

Deinde Deus Adamo dixit: "Quia gessisti morem uxori tuae habebis terram infestam: ea fundet tibi spinas et carduos. Quæres ex ea victum cum multo labore, donec abeas in terram e qua ortus es."

Tum eiecit Adamum Evamque ex horto ut ille terram coleret; ac collocavit Angelum qui praefererat manu gladium igneum ut custodiret aditum paradisi.

CAIN AND ABEL

Adamus multos liberos habuit, inter quos Cainus et Abel numerantur: hic fuit pastor et ille agricola. Uterque obtulit dona Domino: Cainus quidem fructus terrae, Abel autem oves egregias.

Dona Abelis placuerunt Deo, non autem dona Caini: quod Cainus aegre tulit.

Dominus Caino dixit: "Cur fratri invides? Si recte facies, recipies mercedem; sin autem male, lues poenam peccati."

(Extendetur)

Commentaria de Libris

Julia Sabine, A. B.

Newark Library, Newark, N. J.

Notandum: Libros, qui sunt graves severique, legere non semper potest. Homo librum qui illi oblectamento erit saepe perlegere vult. Tum bonam fabulam cupit quae digna diligentia erit propterea quod bene scripta est et spiritum alieni temporis explicat. Vobis quorum antiquitas interest libros qui sequuntur commendo. Alii sunt veteres, alii sunt novi sed tota sunt bona.

FLAUBERT, GUSTAVE—*Salammbô* (N. Y. Modern Library). Haec est fabula Carthaginis, sacerdotis regiae et militis Romani qui est captivus.

MEREJKOWSKI, DIMITRI — *The Birth of the Gods*. (N.Y. Dutton 1926) Hic liber religionem moresque populi Cretae recensere conatus est.

MITCHISON, NAOMI—*Cloud Cuckoo Land* (N. Y. Harcourt, Brace 1926). Fabula Spartae.

WHITE, E. L.—*Andivius Hedulio* (N. Y. Dutton, 1921). Haec fabula est de vita, fortunis et rebus gestis viri qui tempore imperatoris Commodi vixit. Auctor hanc fabulam somniavit. Hanc saepe lego quod iocularis est.

WHITE, E. L.—*The Unwilling Vestal* (N. Y. Dutton, 1918). Haec est fabula de puellula vivida quae Vestalis esse non vult sed una fit. Sua vita est series rerum gestarum et occasionum iocosarum.

DAVIS, W. S.—*A Friend of Caesar* (N. Y. Macmillan, 1926) De Roma temporibus Reipublicae.

WELLS, R. F.—*With Caesar's Legions*. (Boston, Lothrop, 1923) De casibus duorum puerorum in exercitu Romano in Gallia.

LATINE COLLOQUAMUR

DR. N. R.: ST. LOUIS, MO.

Please give me a spoon. Mihi ligulam, quaeso, da. Also, a knife and fork. Quoque cultrum fusculamque. Thanks. Gratias. Do you wish eggs or meat? Visne ova an carnem? You may give me an egg. Velim ovum des. I'll do it. Operam dabo. I am very much obligated to you for your kindness. Maxime tibi debeo pro beneficio tuo. It's done quite commonly. Vulgo fit. Don't get so excited. Noli sic tumultuari. What's up? Quid est? What does this mean? Quid hoc rei est? Come, tell me. Age, mihi dic. I see. Intellego. Naturally! Scilicet. Maybe! Fortasse. All right! Ita sit! As far as I know. Quantum scio. This is as clear as light. Hoc clarius luce est.

(Extendetur)

VOCABULA MEDICINA

ALBERT J. BERES, M. D.

Wood-Ridge, N. J.

CAPUT VII

Convalesco,—ere,—valui—to recover health.

Cor, cordis, N.—the heart

Corrugator,—oris, M.—a muscle that wrinkles

Costa,—ae, F.—a rib

Cranium,—i, N.—the skull

Creasotum,—i, N.—creasote

Creta,—ae, F.—chalk

Cribrosus,—a,—um—having holes like a sieve

Crus, cruris, N.—a leg

Cubitus,—i, N.—an elbow

Curo,—are,—avi,—atus—to cure, treat

Cutis,—is, F.—the skin

Defessus,—a,—um—tired

Delirium,—i, N.—madness

(Extendetur)

RES VARIAE A LECTORIBUS

DE MUTUA SUPPORTATIONE

Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus et qualescumque infirmitates; quia et tu multa habes quae ab aliis oportet tolerari. Si non potes te talem facere qualem vis: quomodo poteris alium ad tuum habere beneplacitum? Libenter habemus alios perfectos et tamen proprios non emendamus defectus. Volumus quod alii stricte corrigantur et ipsi corrigi nolumus. Displicet larga aliorum licentia et tamen nobis nolumus negari quod petimus. Sic ergo patet quam raro proximum sicut nos ipsos pensamus. Nunc autem Deus sic ordinavit ut discamus alter alterius onera portare: quia nemo sine defectu, nemo sine onere; nemo sibi sufficiens, nemo sibi satis sapiens: sed oportet nos invicem portare, invicem consolari, pariter adiuvere, instruere et admonere. Quantae autem virtutis quisque fuerit, melius patet occasione adversitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt: sed qualis sit ostendunt.

Herbert Vandenberg, C. M.
Perryville, Missouri.

ETRUSCORUM ARS

Etrusci pulchrarum rerum amorem rarum ostenderunt. Etiam argentum, quo pulchra emere possent, habuerunt. Multas statuas Athenis importaverunt. Contemptum falsorum et certam indolem eo tempore ignotam ostendunt.

Blanche Williams, '33,
Hazleton Sr. H. S.
Hazleton, Penna.

DUO ITINERA

Femina: "Quicquid tibi dico unam in aurem venit et altera ex aure exit."

Vir: "Heu! Quicquid tibi dico ambas in aures venit et tuo ab ore exit."

Isadore Kline, '32
Hazleton Sr. H. S.
Hazleton, Penna.

DE PERSEVERANTIA

Omnium virtutum nobilissima quidem est perseverantia. Nam si dimidium facti, qui coepit, habet nonne eiusdem finem, qui in incepto perseverat, consequitur?

Minime potuissent Romani illud magnum imperium, de quo omnes mirabilia dicunt, adquirere, nisi usque ad finem perseverassent.

Hannibal, Carthaginensium dux, re militari Romanis consulibus, qui ad eum profligandum missi sunt, multo praestantior fuit; sed dura Romanorum cervix firmusque animus de Poenica superbia triumphum egerunt.

Nemo est qui non videat quanti momenti perseverantia, virtutum regina, sit in negotiis humanis recte persolvendis.

Iuvenes, Patriae decor maximeque spes, illam summo studio et summa diligentia prosequimini.

Joseph Cinquino
Fordham University
New York City, N. Y.

VIR ET LEO

Vir, arcus sui peritus, in montem ut venaretur ascendit. Suo aditu statim conturbationem magnam et fugam inter omnes feros efficit. Leo solus pugnare conatus est.


"Siste!" sagittarius iussit, "et nuntium meum exspecta qui tibi aliquantulum diceret." His verbis sagittam ad Leonem misit et eum in latere vulneravit.

Leo, dolens tormento penitus, se in summum dumetum commisit; sed Vulpes, aspiciens eum currere, eum exhortabatur ut consisteret et hostem suum spectaret.

"Non!" Leo dixit. "Mihi non persuasum fuerit id facere; quia, si nuntius suus tam acutus est tum is qui eum mittit magna potestate esse debet."

James A. Varni
Garrison, N. Y.

Aenigma Verborum IN TRANSVERSUM



Twelfth Prize-Winning Puzzle
Factum a Georgio Rex
Brooklyn, N. Y.

Transversum

Deorsum

- | | |
|----------------------|----------------------|
| 1. Precor | 1. Exsulto |
| 4. Armorum Dea | 2. Non urbs (gen) |
| 7. Fructus g&l- | 3. Auspiciu |
| 8. Carex | 4. Solvit |
| 10. Faux (abl) | 5. Qui ulciscitur |
| 11. Procedito | 6. Maior (abl) |
| 13. Nutrio | 9. Quondam |
| 15. Premo | 12. Cognosco |
| 16. Percute (imp) | 13. Dilige (imp) |
| 18. Proeliator | 14. Oleo |
| 20. Causa | 16. Procedite(imp) |
| 22. Caritas | 17. Illos |
| 23. Reus (acc. plur) | 19. Erratum |
| 24. Ubi Cicero or- | 21. Siccus |
| ationes habuit | 25. Copiae |
| (abl) | 26. Negotium |
| 27. Denudo | 28. Utor (p.p.p.) |
| 31. Labores | 29. Numen (abl. plu) |
| 33. Pertica | 30. Precor |
| 34. Negotium | 32. Anxiduo |
| 35. N. C. X. P. C. | 33. Apices |
| 38. Dico | 36. Oppidum Etru- |
| 39. Pello | riae |
| 40. Sum (fut) | 37. Bacula pasto- |
| 42. Planta suavis | |

ALIUS MAGUS

ministerium hominum impensum erat. Sic ex pectore ultimam gemmam cepit et puellam redemit. Tum tota terra tremebat; domus vibrabantur; lapides erumpebantur pulvisque aerem complebat. Hic puellaque sub murum Praetorii se abdiderunt. Eo loco tegula gravis de tecto decidit et senem in tempore icit. Exanimatus luridusque jacuit; sanguis ex vulnere manabat.

Tum puella lenem vocem audire videbatur sed neminem vidit. Labra sensis movere videbantur, et puella eum Parthina lingua dicere audivit: "Non ita, mi Domine, quando te vidi esurientem, et te pavi; sitientem, et dedi tibi potum? Quando autem te vidi hospitem, et collegi te; aut nudum, et cooperui te? Quando te vidi infirmum: aut in carcere, et ad te veni? Tres et triginta annos te quaesivi sed numquam tuum vultum vidi aut tibi ministravi, mi Rex." Stitit, et lenis vox iterum venit et dixit: "Quamdiu fecisti uni ex fratribus meis minimo, mihi fecisti."

Longa anima allevationis ab Artabani labris exhalabatur. Ad finem itineris venerat; ejus munera accepta erant. Alius Magus suum Regem repererat.

(Finis)

IN NAVI

Hegio. Non intellego.
Marcus. Miles, non orator, fiam. Imperator egregius ero.
Pirata (Gemit.) O—o—oh!
Marcus. Veni! (Exeunt; Marcus et Hegio piratam trahunt.)

(Finis)

- | | |
|--------------|----------------|
| 43. Epulum | ris |
| 44. Altaria | 39. Pennae |
| 45. Metallum | 41. Facultates |

GRAMMATICA

Sum Compounds

Suus cuique mos est. Multa desunt inopiae sed avaritiae omnia.

Ablative Absolute

Pereunte obsequio, etiam imperium intercidit.

Cause & Manner Ablative

Ventis agitur pinus. Plura consilio quam vi perficiuntur.

Time When Ablative

Luce noctem sed nocte lucem expectatis. Octoginta annis vixit.

Accusative Time Duration

Romulus septem et triginta annos regnavit.

Comparative Degree

Quid est ineptius ira? Mors est servitute potior. Sermo Xenophontis erat melle dulcior.

Place Ideas

Mihi contigit Romae doceri. Regulus Carthaginem rediit. Clodius Roma profectus est.

The Supines

Patriam defensum revocatus est. Haud res digna memoratu est.

EXPLICATIO AENIGMATIS

(In numero Decembri)

Transversum

1. Appropinquaverunt 8. Eum 9. Instare 12. Inimica 14. Me 15. In 16. Ac 17. S.S. 18. In 20. Inopi 21. A. O. 23. Nee 25. C.C.P. 26. Exeundus 27. Cohortor 28. A.T.I. 29. Rei 30. Tum 31. Et 33. Es 35. Mea 36. Exeatis 39. At 41. I.E. 42. Sollicitissimorum.

Deorsum

1. Animadvertimus 2. Oras 3. Ne 4. Quaero 5. Um 6. Enim 7. Transportandum 10. Nec 11. Equi 12. Il- li 13. Cis 18. Ineamus 19. Neut 21. Acre 22. Optimus 24. Enim 25. Cori 31. Ex 32. Te 33. Et 34. Si 36. Etac 37. Auri 38. Spei 40. T.I. 41. Is.

DE VIA FERREA (Railroad)

Theodore Laboure, O. M. I., M. A.
San Antonio, Texas

De Cietro (Engine)

Furnace — Fornax, -acis, F.
Firebox — Caminus, -i, M.
Smoke — Fumus, -i, M.
Smokestack — Fumarium, -i, N.
To Smoke — Fumo, -are, -avi, -atus
Soot — Fuligo, -inis, F.
To burn (intr) -Ardeo, -ere, arsi, ar-
sus
To burn (trans) — Comburo, -ere,
-bussi, -bustus
Coal — Lithantrax, -acis, M.
Oil — Oleum, -i fossile, -is, N.
Steam valve — Clypeus, -i, M.
Cylinder — Vaporetum, -i, N.
Piston — Embolus, -i, M.
Lever — Vectis, -is, M.
Driving wheel — Motatoria rota, F.
Manometer — Manometrum, -i, N.
Tender — Suppetarium, -i, N.
Tank — Lacus, -us, M.
Faucet — Epistomium, -i, N.
To open — Aperio, -ire, -rui, -ertus
To close — Caludo, -ere, -si, -sus
Whistle — Fistula, -ae, F.
To whistle — Sibilo, -are, -avi, -atus
(intr)
A whistling — Sibilum, -i, N.
Bell — Campana, -ae, F.
To ring bell — Campanam pulso, -are,
-avi, -atus
Cab — Currus, -us, M.
Brake — Frenum, -i, N.
Cow catcher — Vaccipula, -ae, F.
Bumper — Pulvinus, -i, M.
De Impedimentis (Baggage)
Baggage — Impedimenta, -orum, N.
Sarcina, -ae, F.
Trunk — Arca, -ae, F.
Box — Cista, -ae, F.
Suit case — Mantica, -ae, F.
Valise — Vidulus, -i, M.
Package — Manipulus, -i, M.
Satchel — Ascopera, -ae, F.
Basket — Corbis, -is, F.
Bag — Saccus, -i, M.
(Extendetur)

INDEX VERBORUM

* * *

Avia, -ae, F.—grandmother
 Allatro, -are, -avi, -atus—to bark
 Aculeatus, -a, -um—prickly
 Apicatus, -a, -um—adorned with a priest's cap
 Beo, -are, -avi, -atus—to make happy
 Cicada, -ae, F.—a cricket
 Cancer, -cri, M.—a crab
 Cassita, -ae, F.—a lark
 Carduus, -i, M.—a thistle
 Cereus, -a, -um—waxen
 Dumetum, -i, N.—a thorn bush
 Dito, -are, -avi, -atus—to enrich
 Emendo, -are, -avi, -atus—to correct
 Esuriens, -entis—hungry
 Erisma, -atis, N.—short ladder
 Faber, -bra, -brum—ingenious
 Fustis, -is, M.—stick, staff
 Gravo, -are, -avi, -atus—to increase very much
 Gibbones—a Gibbon (men like Gibbon)
 Hebdomas, -adis, F.—a week
 Hebesco, -ere, (3)—to become dull
 Imbuo, -ere, -ui, -utus—to saturate
 Intorqueo, -ere, -tors, -tortus—to twist
 Irratio, -ire, -ivi, -itus—to entangle
 Juglans, -dis, M.—a walnut
 Iubar, -aris, N.—morning light
 Lubricus, -a, -um—slippery
 Labrum, -i, N.—lips (plur.)
 Monticola, -ae, C.—mountaineer
 Navo, -are, -avi, -atus—to work zealously
 Nitor, -i, nisus sum—to rest or lean
 Pugio, -onis, M.—dagger
 Paveo, -ere, -vi—to fear
 Ros, roris, M.—dew, moisture
 Recenseo, -ere, -sui, -situs—to review
 Sartor, -oris, M.—weeder, hoer
 Somnio, -are, -avi, -atus—to dream
 Scissus, -a, -um—torn
 Tegula, -ae, F.—roof
 Triticum, -i, N.—wheat
 Tus, turis, N.—incense

SUBSCRIPTION RATES

(Effective from May 1, 1932)

For each subscriber	per year
1 to 5	75c
6 to 10	60c
11 to 30	45c
31 to 60	40c
61 to 100	35c
101 to 200	30c
201 and over	25c

MAX ET MORITZ

Wilhelm Busch's delightful series of German stories under the title of "Max und Moritz" is now offered in a beautifully printed volume of 56 pages IN LATIN, profusely illustrated in colors and within a hard-board cover. Having delighted German students for many decades, it is now offered to the world in our only practical international language. The pranks of Max and Moritz will surely delight the possessors of this book. The cover page states: *Max et Moritz, facinora puerilia septem dolis fraudibusque ex inventione Guilielmi Bush in sermonem Latinum conversa a versificatore sereno.* An accompanying leaflet further states that it is issued in celebration of the author's 100th anniversary and "Buschius si viveret centum annos natus, librum hunc legentibus certe esset gratus, cum videret filios sua arte natos his Doctorum litteris esse celebratos." Dr. Albert E. Warsley, President of the A.P.S.L., wholly approves of this book in the name of his classical organization. Price: Marks 2.70.

BRAUN und SCHNEIDER

Verlagsbuchhandlung

MUNCHEN

GERMANY

Editor's Note: Permit me to remark that a copy of this book sent to me has afforded me as happy moments in reading it as any I may have the pleasure of recalling.